

rum adigere iugulo dementis, ita cunctis  
 pereuntibus sub hac nube latuit, donec  
 erumpendi tempus affuit. Idem adole-  
 scētibus Regiis iussu patris munera Del-  
 phico Apollini ferentibus, ridiculi gra-  
 tia, vt Plinij verbis vtar, comes additus  
 est, metuensque ne manifesta reuerentia  
 dissimulatæ prudentiæ daret signum, te-  
 rebratæ virgæ sambucæ aurum infusum  
 aris obtulit, denique Regis filiis post ius-  
 sionem patris adimpletam, de Regni suc-  
 cessione percontantibus, cum responsum  
 esset ab Apolline: De Regno quidem ni-  
 hil, sed summam potestatem obuenturæ  
 ram illi, qui Matri primum osculum tu-  
 lisset: cæteris de Regina dictum æstiman-  
 tibus, Brutus parentem publicam huma-  
 ni generis terram intellexit, subitoque  
 velut ab aliquo sociorum impediretur  
 pronus, corruens furtiuum terræ oscu-  
 lum ingessit: nec multò post assumpta li-  
 bertate primus Cos. mentiri Apollinem  
 non est passus.

## ROMVLVS.

**A**Tque vt ad infantiam & incunabulæ  
 Romani Imperij reuertar, quàm  
 versutum & quàm solers Remuli consilium,  
 qui ad fundandam incolendamque no-  
 l. j.